

**DIES DECIMA QUARTA  
DE S. CYPRIANO, EPISC. MART.  
PROPE CARTHAGINEM IN AFRICA,  
ACTA PROCONSULARIA,**

**Ex editione Ruinartii  
in Actis sinceris Martyrum.**

[Coram proconsule Paterno fidem professus,] Imperatore Valeriano quartum, & Gallieno tertium, consulibus, tertio Kalendarum Septembrium, Carthagine in Secretario, Paternus proconsul Cypriano episcopo dixit: Sacratissimi imperatores Valerianus & Gallienus litteras ad me dare dignati sunt, quibus præceperunt, eos, qui Romanam religionem non colunt, debere Romanas ceremonias recognoscere. Exquisivi ergo de nomine tuo: quid mihi respondes? Cyprianus episcopus dixit: Christianus sum & episcopus. Nullos alios deos novi, nisi unum & verum Deum, qui fecit cælum & terram, mare, &, quæ sunt in eis, omnia. Huic Deo nos Christiani deservimus: hunc deprecamur diebus ac noctibus, pro nobis & pro omnibus hominibus, & pro incolumitate ipsorum imperatorum. Paternus proconsul dixit: In hac ergo voluntate perseveras? Cyprianus episcopus respondit: Bona voluntas, quæ Deum novit, immutari non potest.

[2] [& presbyteros prodere renuens, relegatur] Paternus proconsul dixit: Poteris ergo secundum præceptum Valeriani & Gallieni exsul ad urbem Curubitanam proficisci? Cyprianus episcopus dixit: Proficiscor. Paternus proconsul dixit: Non solum de episcopis, verum etiam de presbyteris, mihi scribere dignati sunt. Volo ergo scire ex te, qui sint presbyteri, qui in hac civitate consistunt. Cyprianus episcopus respondit: Legibus vestris bene

atque utiliter censuistis, delatores non esse. Itaque detegi & deferri a me non possunt. In civitatibus suis invenientur. Paternus proconsul dixit: Ego hodie in hoc loco exquiro. Cyprianus dixit: Cum disciplina prohibeat, ut quis se ultro offerat, & tuæ quoque censuræ hoc displiceat; nec offerre se ipsi possunt; sed a te exquisiti invenientur. Paternus proconsul dixit: A me invenientur. Et adjecit: Præceperunt etiam, ne in aliquibus locis conciliabula fiant, nec cœmeteria ingrediantur. Si quis itaque hoc tam salubre præceptum non observaverit, capite plectetur. Cyprianus episcopus respondit: Fac, quod tibi præceptum est.

[3] [Curubim: inde a Galerio revocatus,] Tunc Paternus proconsul jussit beatum Cyprianum episcopum in exsilium deportari. Cumque diu ibidem moraretur, successit Aspasio Paterno proconsuli Galerius Maximus proconsul, qui sanctum Cyprianum episcopum, ab exsilio revocatum, sibi jussit præsentari. Cumque Cyprianus, sanctus martyr electus a Deo, de civitate Curubitana, in qua exsilio præcepto Aspasio Paterni, tunc proconsulis, datus fuerat, regressus esset, ex sacro præcepto in suis hortis manebat. Inde quotidie sperabat veniri ad se, sicut illi ostensum fuerat.

[4] Et cum illic demoraretur, repente Idibus Septembris, [capitur: ad ejus hospitium plebs noctem pervigilat.] Tusco & Basso consulibus, venerunt ad eum principes duo; unus strator officii Galerii Maximi proconsulis, qui Aspasio Paterno successerat; alius eustrator a custodiis ejusdem officii, qui & in curriculum eum levaverunt, in medioque posuerunt, & in Sexti perduxerunt; ubi idem Galerius Maximus proconsul, bonæ valetudinis recuperandæ gratia, secesserat. Et ita idem Galerius Maximus proconsul in aliam diem Cyprianum sibi reservari præcepit. Et eo tempore beatus Cyprianus ductus, ad principem & stratorem ejusdem officii Galerii

**Maximi proconsulis, clarissimi viri, secessit, & in hospitio ejus cum eo in vico, qui dicitur Saturni, inter Veneriam & Salutariam mansit.**

**[5] Illuc universus populus fratrum convenit: & cum hoc sanctus Cyprianus comperisset, [Postridie coram Galerio denuo confessus,] custodiri puellas præcepit; quoniam omnes in vico ante januam hospitii principis manserant. Et ita altera die octava decima Kalendarum Octobrium mane multa turba convenit ad Sexti secundum præceptum Galerii Maximi proconsulis. Et ita idem Galerius Maximus proconsul eadem die Cyprianum sibi offerri præcepit, in atrio Sauciolo sedenti. Cumque oblatus fuisset, Galerius Maximus proconsul Cypriano episcopo dixit: Tu es Thascius Cyprianus? Cyprianus episcopus respondit: Ego sum. Galerius Maximus proconsul dixit: Tu papam te sacrilegæ mentis hominibus præbuisti? Cyprianus episcopus respondit: Ego.**

**[6] Galerius Maximus proconsul dixit: Jusserunt te sacratissimi imperatores cæremoniari. [capite plecti jubetur,] Cyprianus episcopus dixit: Non facio. Galerius Maximus ait: Consule tibi. Cyprianus episcopus respondit: Fac, quod tibi præceptum est. In re tam justa nulla est consultatio. Galerius Maximus collocutus cum concilio, sententiam vix ægre dixit verbis hujusmodi: Diu sacrilega mente vixisti, & plurimos nefariæ tibi conspiracy homines aggregasti, & inimicum te diis Romanis, & sacris legibus constituisti; nec te pii & sacratissimi principes Valerianus & Gallienus Augusti, & Valerianus nobilissimus Cæsar, ad sectam cæremoniarum suarum revocare potuerunt. Et ideo, cum sis nequissimorum criminum auctor & signifer deprehensus, eris ipse documento his, quos scelere tuo tecum aggregasti: sanguine tuo sancietur disciplina. Et his dictis, decretum ex tabella recitavit: Thascium Cyprianum gladio animadverti placet. Cyprianus episcopus dixit: Deo gratias.**

[7] Post hanc vero sententiam turba fratrum dicebat: [& coram magna populi turba decollatur:] Et nos cum illo decollemur. Propter hoc tumultus fratrum exortus est, & multa turba eum prosecuta est. Et ita idem Cyprianus in agrum Sexti productus est, & ibi se lacerna byrro exspoliavit, & genu in terra flexit, & in orationem se Domino prostravit. Et cum se dalmatica exspoliasset, & diaconibus tradidisset, in linea stetit, & cœpit spiculatorem sustinere. Cum venisset autem spiculator, jussit suis, ut eidem spiculatori viginti quinque aureos darent. Linteamina vero & manualia y a fratribus ante eum mittebantur. Postea vero beatus Cyprianus manu sua oculos sibi textit; qui cum lacinias manuales ligare sibi non potuisset, Julianus presbyter, & Julianus subdiaconus ei ligaverunt.

[8] Ita beatus Cyprianus passus est; ejusque corpus propter gentilium curiositatem in proximo positum est. Inde per noctem sublatum cum cereis & scholacibus ad areas Macrobiani Candidiani procuratoris, [ejus corpus a fidelibus noctu subducitur.] quæ sunt in via Mappaliensi juxta piscinas, cum voto & triumpho magno deductum est. Post paucos autem dies Galerius Maximus proconsul decessit. Passus est autem beatissimus Cyprianus martyr die octava decima Kalendarum Octobrium, sub Valeriano & Gallieno imperatoribus; regnante vero Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

## ANNOTATA.

Valerianus post Gallum & Æmilianum potitus imperio, Gallienum filium suum sibi sociavit. His duobus Augustis consulibus, nempe Valeriano IV, & Gallieno III annus Christi 257 signatus est apud Bucherium in Cyclo; ad quem annum hæc prima S. Cypriani confessio propterea

referenda est. De causa suscitatae a Valeriano persecutionis adi **Commentarium initio § 46.**

**Infra Aspasius Paternus dicitur.**

**Codex Conchensis apud Ruinartium in Annotatis habet: Exquiro tibi de nomine tuo, quid mihi respondeas.**

**De Curubi, exsilio loco, vide supra S. Pontium in Vita, a num. 22, & Commentarium nostrum num. 795 & seqq.**

**Cryptas scilicet subterraneas, in quibus primis illis Ecclesiae seculis Christiani sacros conventus suos tempore persecutionum agebant.**

**Curubim, ut supra dictum est. Porro quae hic ab initio hujus numeri usque ad alteram Sancti confessionem narrantur, a collectore Actorum proconsularium adjecta sunt, ut utraque confessio combinaretur; sed de hisce vide dicta in Commentario num. 8 & sequentibus.**

**Eminentissimus Baronius in Annalibus ad annum 261, num. 25 ex Trebellio Pollione legi vult Fusco, non Tusco. Memmius Fuscus pariter dicitur a Vopisco in Aureliano: ex aliorum tamen assertis Tillemontius tom. 3 Historiae imperatorum, [Col. 0333F] in Valeriano art. 5 ait, ad hunc annum 258 in omnibus Vopisci Mss. legi Tuscum. Hunc pariter retinet tam Catalogus praefectorum Urbis, quam vetus fragmentum Fastorum apud Bucherium in Cyclo Victorii. Deinde littera ista initialis T, in F facile mutari potuit, neque ad praesens argumentum quidquam interest, utro modo legatur. Consuli potest laudatus Tillemontius, & Pagius in Critica ad annum Christi 258, num. 1, ubi contra Baronium Tusco legendum monet.**

**Baronius in margine notat: al. stator. Sed non est, cur a communi lectione recedamus. Stratoribus reorum curam**

mandatam fuisse, habemus etiam ex Constantini imperatoris I. I C. Th. de Custod. reor., ubi cavetur, ut neque his, qui stratorum funguntur officio, neque ministris eorum liceat crudelitatem suam accusatoribus vendere. Alia eorundem munia videri possunt apud Pitiscum in Lexico Antiquitatum.

Equistratoris, qui etiam sæpe strator vocatus est, officium inter cetera erat, ascendentem in equum dominum levare. S. Augustinus in Serm. 309 hosce duos apparitores appellavit; Pontius supra in Vita unius tantum meminit, eumque principem dixit, qualiter etiam infra nuncupatur.

Codices Colbert. & Germ. I apud laudatum Ruinartium habent: Atrio Secutiolo; Conch. Saloutio. Sed Sauciolo retinendum esse, eruimus ex concilii Matisconensis II can. 19, ex quo significationem simul discimus. Hic enim in Collectione Conciliorum Labbei tom. 5, col. 987 sic habet: Cognovimus etiam, quosdam clericorum infrunitos ad forales reorum sententias frequenter accedere. Propterea prohibitionis eorum accessus hunc canonem protulimus, definientes, ut ad locum examinationis reorum nullus clericorum accedat, neque intersit atrio Sauciolo, ubi pro reatus sui qualitate quispiam interficiendus est. Notant tamen Benedictini editores Glossarii Cangii aucti, ad eandem vocem, notant, inquam ex Valesio contra Cangium, adverbium ubi, temporis, non loci esse; Romanis enim moris fuisse reos non in atrio, sed in loco aperto extra urbem, uti etiam in S. Cypriano contigit, capite plectere.

Lacerna æque ac birrum virilis vestimenti genus apud veteres fuit, de quo multa conguessit Samuël Pitiscus in Lexico Antiq. Roman., & Cangius in Glossario. Sunt, qui alterutram vocem hic abundare existiment, quibus favet codex Germ. 1 apud Ruinartium, in quo ommissa lacerna, tantum byrro legitur. Sed cum Festus apud laudatum

**Cangium dicat: Burrum antiqui, quod nunc dicimus rufum; cumque ibidem ex Scholiaste Juvenalis sat. 1 legatur: Quod Græci coccum, Latini veteres birrum appellant; itemque in Glossis Isidori; Birrus, rufus; cum hæc, inquam ibidem legantur, facile potuit per birrum lacernæ color designari, ac consequenter legendum erit: Lacerna birra. De byrrho tamen, tamquam veste clericis ac episcopis non indecenti loquitur S. Augustinus Serm. 356, qui de vita & moribus clericorum 2 est, alias 50 de diversis. Nemo, inquit, det byrrhum vel lineam tunicam, seu aliquid, nisi in commune... Nolo, talia offerat sanctitas vestra, quibus ego solus quasi decentius utar: offerat mihi verbi gratia byrrhum pretiosum: forte decet episcopum, quamvis non deceat Augustinum, id est, hominem pauperem, de pauperibus natum.**

**Monet hic Ruinartius, in codicibus Fossat. Colb., Conch., S. Genovesæ &c., pro dalmatica legi tunica, sed in multo pluribus dalmatica. Nec hanc vestem, quæ a Dalmatia, ubi primum facta sit, sic appellata dicitur, veteribus Romanis ignotam fuisse, ostendit Baronius in Annotatis ad Martyrologium Romanum ad diem 31 Maji, de S. Paschasio diacono; & Pitiscus supra laudatus. An tamen idem Baronius in Annalibus ad annum Christi 261, num. 40 & sequentibus, ubi de prædictis, S. Cypriani vestimentis disputat, hæc de sacris vestibus, quarum nunc in Ecclesia usus est, recte interpretatus fuerit, non ausim asserere.**

**Id est: Sudaria; nempe ut sacrum Martyris sanguinem exciperent: quanti enim etiam ejus temporis Christiani martyrum reliquias facerent, exemplo est miles ille tesserarius, olim Christianus, qui vel vestes ejusdem Sancti nostri sudore imbutas desiderabat, ut in Vita num. 33 dictum est.**

**Eminentissimus Baronius ad annum Christi 261, num. 36, scholaribus legit, ideoque prædicta de præcedente clero**

**diversarum classium atque scholarum, accensas faces gestantibus singulis, interpretatus est. Ego non dubito, quin sancti Episcopi ac Martyris sui funeri plures clerici adfuerint; sed malo scholaces, vel scolaces legere, per easque funalia seu faces intelligere, ut est apud Cangium in Glossario.**